eorum ſinus ſeu quantitates ſint proportionales (prout ex def.Logarithmi,& vtriuſque motus patet, & in conſtructione logarithmorum amplius aliquando patebit,) proportionalium ergo quantitatum æqui-differentes ſunt Logarithmi.

2. *Ex trium proportionalium Logarithmis,duplum ſecundi ſeu medij minutum primo,æquatur tertio.*

Quum, per prop. 1. differentia logarithmorum primi & ſecundi æquetur differentiæ logarithmorum ſecundi & tertij,id eſt, ſecundus minutus primo æquetur,tertio minus ſecundo: Ideo addito ſecundo ad vtrumque æquationis latus proueniet bis ſecundus ſeu duplum ſecundi minutum primo æquale tertio,quod erat probandum.

3. *Ex trium proportionalium logarithmis,duplum ſecundi ſeu medij æquatur aggregato extremorum,*

Ex præcedente prop. 2. duplum ſecundi minutum primo æquatur tertio.Vtrique æqualium laterum adde primum, & exurget duplum ſecundi æquale primo & tertio,id eſt,aggregato extremorum,quod erat demonſtrandum.

4. *Ex quatuor proportionalium logarithmis,aggregatum ſecundi & terty minutum primo æquatur quarto.*

Quum per 1.prop.ex quatuor proportionalium logarithmis,ſecundus minutus primo, æquetur quarto minus tertio, vtrique æqualitatis lateri,adde tertium, & fient ſecundus & tertius minuti primo æquales quarto, quod erat propoſitum.

5. *Ex quatuor proportionalium logarithmis aggregatum mediorum (ſecundi,ſcilicet,& tertij) æquatur aggregato extremorum, primi videlicet,& quarti.*

Per prop. 4. præcedentem, ſecundus & tertius minuti primo erant æquales quarto:vtrique æqualitatis lateri adde primum,& fiet ſecundus,plus tertio æqualis quarto,plus primo, quod demonſtrandum erat.

6. *Ex quatuor continuè proportionalium logarithmis triplum alterutrius mediorũ æquatur aggregato extremi remoti, & dupli vicini.*

Per ſecundam prop.duplum ſecundi ſeu medij minutum primo eſt æquale tertio: & per tertiam prop. duplum, huius, quod eſt,quadruplum ſecundi minutum duplo primi,æquabitur aggregato ſuorum extremorum,videlicet quarto plus ſecundo.

cundo.Iam ſi ab vtroque æqualitatis latere ſubduxeris ſecundum,fiet triplum ſecundi minutum duplo primi æquale quarto:huius rurſus æqualitatis lateribus adde duplum primi, & exurget triplum ſecundi æquale quarto plus primi duplo: quod probandum ſuſcepimus.

ADMONITIO.

HVc vſque logarithmorum geneſin &ſymptomata explicauimus:quo verò calculo,quaue logiſticæ methodo habeantur,hoc loco explicandum foret. Sed quia ipſum canonem integrum,eiuſque logarithmos omnes cum ſuis ſinibus ad ſingulas quadrantis minutias primas exhibemus, ideo in tempus magis idoneum doctrinam conſtructionis logarithmorum tranſilientes,ad eorum vſum properamus, vt præli batis prius vſu,& rei vtilitate,cætera aut magis placeant poſt hac edenda,aut minus ſaltem diſpliceant ſilentio ſepulta.Præſtolor enim eruditorum de his iudicium & cenſuram, priuſquam cætera in lucem temerè prolata liuidorum detractationi exponantur.

DESCRIPTIONEM COMPLECTENS tabulæ logarithmorum,& ſeptem eius columnarum.

CAP. III.

Sectio 1.

PRima columna eſt expreſsè arcuum ab 0.in 45.Grad.creſcentium: & ſubintelligiur eſſe etiam ſuorum ad ſemicirculum reliquorum.

2. *Septima autem columna eſt arcuum à quadrante in 45. gradum decreſcentium:& ſubintelligitur eſſe etiam ſuorum ad ſemicirculum reliquorum.*

3. *Vnde alterius columnæ arcus,ſunt arcuum alterius è regione reſpondentium complementa.*

4. *Atque*